

lem commutationis Planetæ, qui ablatus ab æquali ☉ simplici relinquit æqualem motum longitudinis planetæ. Vel si unius tantum horum 5. planetarum motus calculum uelis subducere, proximum erit pro ipso simplici ☉ accipere motum longitudinis. Sit etiam inuentus apogei locus à prima stella V per præcedentem, & uera præcessio uerni æquinoctij. Postea aufer apogei locum ab æquali motu longitudinis, ut relinquatur anomalia Eccentri per quam uenaberis ex Canone prosthaphæreseon eiusdem planetæ, & æquationem Eccentri, & scrupula proportionum facta emendatione, si opus fuerit. Hæc Eccentri æquatio auferenda est tum anomaliæ Eccentri, tum medio longitudinis, quando ipsa Eccentri anomalia minor fuerit semicirculo, sed post semicirculū addenda est, ut utrunq; coequetur, quemadmodū ipsi quoque tituli adscripti huic ordini æquationū per se indicāt. At eadem æquatio contrario modo uel addenda est, uel auferenda æquali motui commutationis, ut & hæc anomalia fiat coæquata. Interea scrupula proportionum adseruentur. Iam cum hac coæquata anomalia commutationis ingressus eundem Canonem prosthaphæreseon rite excerpas æquationem parallaxeos orbis cum excessu sequenti, è quo iuxta scrupula proportionalia sumas partem congruentem semper addendam: parallaxi orbis, ut existat absoluta, quæ quidem ante semicirculū coæquata anomaliæ commutationis semper addenda est, post uero subtrahenda.

Coæquatus motus longitudinis.

Hinc iam duplici uia ad exitum calculi peruenire licet. Primum enim absoluta æquatio addita uel ablata coæquato motui longitudinis, quæ uocant uerum Epicycli motum, ostendit ueram planetæ distantiam à prima stella V, cui tandem adiecta uera præcessio uerni æquinoctij monstrat eiusdem locum ab apparenti æquinoctio, ut non ignorari queat pars dodecatemorij, in quo stella pro eo tempore uersatur.

Rursus uero eadem æquatio addita uel ablata coæquata anomaliæ Eccentri monstrat uerum locum planetæ ab apogeo Eccentri, cui si rursus adieceris uerum apogei locum ab apparenti æquinoctio motum ex præcedenti præcepto, habebis eundem, quem prius, uerum stellæ locum à uerno æquinoctio.

Sed lucem adferet huic præcepto uel unicum exemplum. Ut ad datum tempus natalicium inclyti Ducis Borussiae æqualis motus ☉ simplex est sex. 0. part. 36. scr. 54 1^a, 29 2^a, Aequalis commutationis motus ♄ sexagenarum 2. part. 8. scr. 20 1^a, 42 2^a, qui ablatus ex æquali ☉ simplici relinquit æqualem longitudinis ♄ motum sex. 4. part. 28. scr. 33 1^a, 47 2^a, ut à prima stella V. Est & apogei ♄ locus indidē sex. 4. part. 0. scr. 11 1^a, 12 2^a, qui reiectus ex motu longitudinis reliquam facit anomaliā Eccentri sex. 0. part. 28. scr. 22 1^a, 35 2^a, per quā ex Canone

none